

## GRATTIUS FALISCUS

## CYNEGETICA (536 vers)

v.1           Dona cano divum, laetas venantibus artis,  
 2           auspicio, Diana, tuo ; prius omnis in armis  
 3           spes fuit et nuda silvas virtute movebant  
 4           inconsulti homines vitaque erat error in omni.  
 5           Post alia, propiore, via meliusque profecti  
 6           te sociam, ratio, rebus sumpsere gerendis ;  
 7           hinc omne auxilium vitae rectusque reluxit  
 8           ordo et contiguas didicere ex artibus artis  
 9           proserere, hinc demens cecidit violentia retro.  
 10          Sed primum auspiciu deus artibus altaque circa  
 11          firmamenta dedit ; tum partis quisque secutus  
 12          exegere suas tetigitque industria finem.  
 13          Tu trepidam bello, vitam, Diana, ferino  
 14          qua primam quaerebat opem, dignata repertis  
 15          protegere auxiliis orbemque hac solvere noxa.  
 16          Adscivere tuo comites sub nomine divae  
 17          centum : omnes nemorum, umentes de fontibus omnes  
 18          Naides, et Latii satyri Faunusque subibant  
 19          Maenaliusque puer, domitrixque Idaeae leonum  
 20          mater, et inculto Silvanus termite gaudens.  
 21          His ego praesidibus nostram defendere sortem  
 22          contra mille feras et non sine carmine jussus  
 23          carmine et arma dabo et venandi persequar artis.  
 24          Armorum casses, plagique exordia, restes,  
 25          prima jubent tenui nascentem jungere filo  
 26          limbum et quadruplicis tormento adstringere limbos :  
 27          illa operum patiens, illa usus linea longi  
 28          tunc ipsum e medio cassem quo nascitur ore  
 29          per senos circum usque sinus laqueabis, ut omni  
 30          concipiat tergo, si quisquam est plurimus, hostem.  
 31          At bis vicanos spatium praetendere passus  
 32          rete velim plenisque decem consurgere nodis ;  
 33          ingrati majora sinus impendia sument.  
 34          Optuma Cinyphiae, ne quid cunctere, paludes  
 35          lina dabunt ; bonus Aeolia de valle Sibyllae  
 36          fetus et aprico Tuscorum stuppea campo  
 37          messis contiguum sorbens de flumine rorem,  
 38          qua cultor Latii per opaca silentia Thybris  
 39          labitur inque sinus magno venit ore marinos.  
 40          At contra nostris imbellia lina Faliscis  
 41          Hispanique alio spectantur Saetabis usu.  
 42          Vix operata suo sacra ad Bubastia lino  
 43          velatur sonipes aestivi turba Canopi :  
 44          ipse in materia damnosus candor inertis  
 45          ostendit longe fraudem atque exterruit hostis.  
 46          At pauper rigui custos Alabandius horti  
 47          cannabinas nutrit silvas, quam commoda nostro  
 48          armamenta operi. Gravis est tutela, sed illis  
 49          tu licet Haemonios includas retibus ursos.  
 50          Tantum ne subeat vitiorum pessimus umor

51 ante cave : non est umentibus usus in armis,  
 52 nulla fides. Ergo seu pressa flumina valle  
 53 inter opus clausaeque malum fecere paludes,  
 54 sive improvisus caelo perfuderit imber,  
 55 illa vel ad flatum Helices oppande serenae  
 56 vel caligineo laxanda reponite fumo.  
 57 Idcirco et primas linorum tangere messes  
 58 ante vetant quam maturis accenderit annum  
 59 ignibus et claro Plias se prompserit ortu.  
 60 Imbiberit : tanto respondet longior usus.  
 61 Magnum opus et tangi, nisi cura vincitur, impar.  
 62 Nonne vides veterum, quos prodit fabula rerum,  
 63 semideos illi aggeribus temptare superbis  
 64 caeli iter et matres ausi atrectare deorum,  
 65 quam magna mercede meo sine munere silvas  
 66 impulerint ? Flet adhuc et porro flebit Adonin  
 67 victa Venus, ceciditque suis Ancaeus in arvis  
 68 (et praedexter erat, geminisque securibus ingens)  
 69 ipse deus cultorque feri Tirynthius orbis,  
 70 quem mare, quem tellus, quem praeceps janua Ditis  
 71 omnia temptantem, qua laus erat obvia, passa  
 72 hinc decus et famae primum impetravit honorem.  
 73 Exige si qua meis respondet ab artibus ergo  
 74 gratia quae vires fallat collata ferinas :  
 75 sunt quibus immundo decerptae vulture plumae  
 76 instrumentum operis fuit et non parva facultas.  
 77 Tantum inter nivei jungantur vellera cygni,  
 78 et satis armorum est. Haec clara luce coruscant  
 79 terribiles species, at vulture dirus ab atro  
 80 turbat odor silvas meliusque alterna valet res.  
 81 Sed quam clara tuis et pinguis pluma sub armis,  
 82 tam mollis tactu et non sit creberruma nexu,  
 83 ne reprensas suis properantem linea pennae  
 84 implicet atque ipso mendosa coarguat usu.  
 85 Hic magis in cervos valuit metus ; ast ubi lentae  
 86 interdum Libyco fucantur sandyce pennae  
 87 linteaeque expositis lucent anconibus arma,  
 88 rarum si qua metus eludet belua falsos.  
 89 Nam fuit et laqueis aliquis curracibus usus :  
 90 cervino jussere magis contexere nervo ;  
 91 fraus teget insidias habitu mentita ferino.  
 92 Quid qui dentatas iligno robore clausit  
 93 venator pedicas, quam dissimulantibus armis  
 94 saepe habet imprudens alieni lucra laboris !  
 95 O felix, tantis quem primum industria rebus  
 96 prodidit auctorem ! Deus ille an proxima divos  
 97 mens fuit, in caecas aciem quae magna tenebras  
 98 egit et ignarum perfudit lumine vulgus ?  
 99 Dic age Pierio (fas est) Diana, ministro.  
 100 Arcadium stat fama senem, quem Maenalus auctor  
 101 et Lacedaemoniae primum vidistis Amyclae  
 102 per non adsuetas metantem retia valles  
 103 Dercylon. Haut illo quisquam se justior egit,  
 104 haut fuit in terris divum observantior alter :  
 105 ergo illum primis nemorum dea finxit in arvis  
 106 auctoremque operi dignata inscribere magno  
 107 jussit adire suas et pandere gentibus artes.  
 108 Ille etiam valido primus venabula dente

109 induit et proni moderatus vulneris iram  
110 omne moris exceptit onus ; tum stricta verutis  
111 dentibus et gemina subiere hastilia furca  
112 et quidam totis clausurunt ensibus hastas,  
113 ne cessaret iners in vulnere massa ferino.  
114 Blandimenta vagae fugies novitatis : ibidem  
115 exiguo nimiove nocent. Sed lubricus errat  
116 mos et ab expertis festinant usibus omnes.  
117 Quid, Macetum immensos libeat si dicere contos ?  
118 Quam longa exigui spicant hastilia dentes !  
119 Aut contra ut tenero destrictas cortice virgas  
120 praegravat ingenti pernix Lucania cultro !  
121 Omnia tela modi melius finxere salubres,  
122 quocirca et jaculis habilem perpendimus usum :  
123 neu leve vulnus eat neu sit brevis impetus illi.  
124 Ipsa arcu Lyciaque suos Diana pharetra  
125 armavit comites : ne tela relinquitte divae :  
126 magnum opus et volucres quondam fecere sagittae.  
127 Disce agedum et validis dilectum hastilibus omnem.  
128 Plurima Threiciis nutritur vallibus Hebri  
129 cornus et umbrosae Veneris per litora myrtus  
130 taxique pinusque Altinatesque genestae  
131 et magis incomptos opera juturus agrestis  
132 termes. Ab Eois descendit virga Sabaeis  
133 mater odorati multum pulcherruma turis :  
134 illa suos usus intractatumque decorem  
135 (sic nemorum jussere deae) natalibus hausit  
136 arbitriis ; at enim multo sunt ficta labore  
137 cetera quae silvis errant hastilia nostris :  
138 nunquam sponte sua procerus ad aethera termes  
139 exiit inque ipsa curvantur stirpe genestae.  
140 Ergo age luxuriam primo fetusque nocentis  
141 detrahe : frondosas gravat indulgentia silvas.  
142 Post ubi proceris generosa stirpibus arbor  
143 se dederit teretisque ferent ad sidera virgae,  
144 stringe notas circum et gemmantis exige versus.  
145 His, si quis vitium nociturus sufficit, umor  
146 ulceribus fluet et venas durabit inertis.  
147 In quinos sublata pedes hastilia plena  
148 caede manu, dum pomiferis advertitur annus  
149 frondibus et tepidos autumnus continet imbres.  
150 Sed cur exiguis tantos in partibus orbis  
151 lustramus ? Prima illa canum, non ulla per artis  
152 cura prior, sive indomitos vehementior hostis  
153 nudo Marte premas seu bellum ex arte ministres.  
154 Mille canum patriae ductique ab origine mores  
155 quoique sua. Magna indocilis dat proelia Medus  
156 magna que diversos extollit gloria Celtas.  
157 Arma negant contra Martemque odere Geloni,  
158 sed natura sagax : Perses in utroque paratus.  
159 Sunt qui Seras alant, genus intractabilis irae ;  
160 at contra faciles magnique Lycaones armis.  
161 Sed non Hyrcano satis est vehementia gentis  
162 tanta suae : petiere ultro fera semina silvis ;  
163 dat Venus accessus et blando foedere jungit.  
164 Tunc et mansuetis tuto ferus errat adulter  
165 in stabulis utroque gravem succedere tigrin  
166 ausa canis majore tulit de sanguine fetum.

167 Sed praeceps virtus : ipsa venabitur aula  
 168 ille tibi et pecudum multo cum sanguine crescet.  
 169 Pasce tamen : quaecumque domi sibi crimina fecit,  
 170 excutiet silva magnus pugnator adepta.  
 171 At fugit adversos idem quos repperit hostis  
 172 Umber : quanta fides, utinam, et sollertia naris,  
 173 tanta foret virtus et tantum vellet in armis !  
 174 Quid, freta si Morinum dubio refluentia ponto  
 175 veneris atque ipsos libeat penetrare Britannos ?  
 176 O quanta est merces et quantum impendia supra,  
 177 si non ad speciem mentiturosque decores  
 178 (parvis haec una est catulis jactura Britannis),  
 179 at magnum cum venit opus promendaque virtus  
 180 et vocat extremo praeceps discrimine mavors :  
 181 non tunc egregios tantum admirere Molossos.  
 182 Comparat his versuta suas Athamania gentes  
 183 Alorusque Pheraeque et clandestinus Acarnan :  
 184 sicut Acarnanes subierunt proelia furto,  
 185 sic canis illa suos taciturna supervenit hostis.  
 186 At clangore citat quos nondum conspicit apros  
 187 Aetola quaecumque canis de stirpe : malignum  
 188 officium, sive illa metus convicia rupit  
 189 seu frustra nimius properat favor. Et tamen illud  
 190 ne vanum totas genus aspernere per artis :  
 191 mirum quam celeres et quantum nare merentur,  
 192 tum non est victi quoi concessere labori.  
 193 Idcirco variis miscebo gentibus usum :  
 194 quondam inconsultis mater dabit Umbrica Gallis  
 195 sensum agilem, traxere animos de patre Gelonae  
 196 Hyrcano et vanae tantum Calydonia linguae  
 197 exhibit vitium patre emendata Molosso.  
 198 Scilicet ex omni florem virtute capessunt  
 199 et sequitur natura favens. At te leve si qua  
 200 tangit opus pavidosque juvat compellere dorcas  
 201 aut versuta sequi leporis vestigia parvi,  
 202 Petroniost haec fama cani, volucresque Sycambros  
 203 et pictam macula Vertraham delige flava :  
 204 ocior adfectu mentis pennaque cucurrit,  
 205 sed premit inventas, non inventura latentis  
 206 illa feras, quae Petroniis bene gloria constat.  
 207 Quod si maturo pressantes gaudia lusu  
 208 dissimulare feras tacitique accedere possent,  
 209 illis omne decus, quod nunc, metagontes, habetis,  
 210 constaret : silva sed virtus irrita damno est.  
 211 At vestrum non vile genus, non patria, vulgo  
 212 Sparte quos et Creta suos promittit alumnos :  
 213 sed primum celsa lorum cervice ferentem,  
 214 Glympice, te silvis egit Boeotius Hagnon,  
 215 Hagnon Astylides, Hagnon, quem plurima semper  
 216 gratia per nostros unum testabitur usus.  
 217 Hic trepidas artis et vix novitate sedentes  
 218 vidit qua propior peteret via nec sibi turbam  
 219 contraxit comitem nec vasa tenentia longe :  
 220 unus praesidium atque operi spes magna petito  
 221 adsumptus metagon lustrat per nota ferarum  
 222 pascua, per fontes, per quas trivere latebras.  
 223 Primae lucis opus : tum signa vapore ferino  
 224 intemerata legens si quast qua fallitur ejus

225 turba loci, majore secat spatia extera gyro ;  
 226 atque hic egressu jam tum sine fraude reperto  
 227 incubuit, spatiis qualis permissa Lechaeis  
 228 Thessalium quadriga decus, quam gloria patrum  
 229 excitat et primae spes ambitiosa coronae.  
 230 Sed ne qua ex nimio redeat jactura favore,  
 231 lex dicta officiis : neu voce lacesseret hostem  
 232 neve levem praedam aut propioris pignora lucri  
 233 amplexus primos nequiquam effunderet actus ;  
 234 jam vero impensum melior fortuna laborem  
 235 cum sequitur juxtaque domus quaesita ferarum,  
 236 et sciat occultos et signis arguat hostes :  
 237 (aut effecta levi testatur gaudia cauda  
 238 aut ipsa infodiens uncis vestigia plantis  
 239 mandit humum celsisve adprensat naribus auras) ;  
 240 et tamen, ut ne prima faventem pignora fallant,  
 241 circum omnem aspretis medius qua clauditur orbis  
 242 ferre pedem accessusque abitusque notare ferarum  
 243 admonet et, si forte loco spes prima fefellit,  
 244 rusum opus incubuit spatiis ; at, prospera si res,  
 245 intacto repetet prima ad vestigia gyro.  
 246 Ergo ubi plena suo rediit victoria fine,  
 247 in partem praedae veniat comes et sua norit  
 248 praemia : sic operi juvet inseruisse benigne.  
 249 Hoc ingens meritum est, haec ultima palma tropaei,  
 250 Hagnon magne, tibi divum concessa favore :  
 251 ergo semper eris, dum carmina dumque manebunt  
 252 silvarum dotes atque arma Diania terris.  
 253 Hic et semiferam thoum de sanguine prolem  
 254 finxit. Non alio major sub pectore virtus,  
 255 sive in lora voces seu nudi ad pignera martis.  
 256 Thoes commissos (clarissima fama) leones  
 257 et subiere astu et parvis domuere lacertis ;  
 258 nam genus exiguum et pudeat, quam informe, fateri,  
 259 vulpina species : tamen huic exacta voluntas.  
 260 At non est alius quem tanta ad munia fetus  
 261 exercere velis, aut te tua culpa refellet  
 262 inter opus, quom sera cadit prudentia damno.  
 263 Junge pares ergo et majorum pignore signa  
 264 feturam prodantque tibi metagonta parentes,  
 265 qui genuere sua pecus hoc inmane juvena.  
 266 Et primum expertos animi, quae gratia prima est,  
 267 in venerem jungam. Tum sortis cura secunda,  
 268 ne renuat species aut quem detractet honorem.  
 269 Sint celsi vultus, sint hirtae frontibus aures,  
 270 os magnum, et patulis agitados naribus ignes  
 271 spirent, adstricti succingant ilia ventres,  
 272 cauda brevis longumque latus discretaque collo  
 273 caesaries neu pexa nimis neu frigoris illa  
 274 impatiens ; validis tum surgat pectus ab armis,  
 275 quod magnos capiat motus magnisque supersit.  
 276 Effuge qui lata pandit vestigia planta :  
 277 mollis in officio. Siccis ego dura lacertis  
 278 crura velim et solidos haec in certamina calces.  
 279 Sed frustra longus properat labor, abdita si non  
 280 altas in latebras unque inclusa marito  
 281 femina : nec patres Veneris sub tempore magnos  
 282 illa neque emeritae servat fastigia laudis.

283 Primi complexus, dulcissima prima voluptas  
 284 (hunc Veneri dedit impatiens natura furorem),  
 285 si tenuit custos et mater adultera non est.  
 286 Da requiem gravidae solitosque remitte labores :  
 287 vix oneri super illa suo. Tum deinde monebo,  
 288 ne matrem indocilis natorum turba fatiget,  
 289 percensere notis jamque inde excernere pravos.  
 290 Signa dabunt ipsi. Teneris vix artibus haeret  
 291 ille tuos olim non defecturus honores,  
 292 jamque illum impatiens aequae vehementia sortis  
 293 extulit : adfectat materna regna sub alvo,  
 294 ubera tota tenet, a tergo liber aperto,  
 295 dum tepida indulget terris clementia mundi ;  
 296 verum ubi Caurino perstrinxit frigore vesper,  
 297 irreptat turbaque potens operitur inertii.  
 298 Illius et manibus vires sit cura futuras  
 299 perpensare : levis deducet pondere fratres :  
 300 nec me pignoribus, nec te mea carmina fallent.  
 301 Protinus et cultus alios et debita fetae  
 302 blandimenta ferēs curaque sequere merentem :  
 303 illa perinde suos, ut erit, de lacte minores  
 304 ad longam praestabit opem. Tum denique, fetae  
 305 cum desunt operi, fregitque industria matres,  
 306 transeat in catulos omnis tutela relictos.  
 307 Lacte novam pubem facilique tuebere maza,  
 308 nec luxus alios avidaeque impendia vitae  
 309 noscant : haec magno redivit indulgentia damno.  
 310 Nec mirum : humanos non est magis altera sensus,  
 311 tollit ni ratio et vitiis adeuntibus obstat.  
 312 Haec illast Pharios quae fregit noxia reges,  
 313 dum servata cavis potant Mareotica gemmis  
 314 nardiferumque metunt Gangem vitiisque ministrant.  
 315 Sic et Achaemenio cecidisti, Lydia, Cyro :  
 316 atqui dives eras ac fluminis aurea venis.  
 317 Scilicet ad summam ne quid restaret habendi,  
 318 tu quoque luxuriae fictas dum colligis artes  
 319 et sequeris demens alienam, Graecia, culpam,  
 320 o quantum et quotiens decoris frustrata paterni !  
 321 At qualis nostris, quam simplex mensa Camillis !  
 322 Qui tibi cultus erat post tot, Serrane, triumphos !  
 323 Ergo illi ex habitu virtutisque indole priscae  
 324 imposuere orbi Romam caput, actaque ab illis  
 325 ad caelum virtus summosque tetendit honores.  
 326 Scilicet exquis magna sub imagine rebus  
 327 prospicies, quae sit ratio, et quo fine regendae.  
 328 Idcirco imperium catulis unusque magister  
 329 additur : ille dapes poenamque operamque moramque  
 330 temperet, hunc spectet silvas domitura juvenus.  
 331 Nec vile arbitrium est : quocumque haec regna dicantur,  
 332 ille tibi egregia juvenis de pube legendus,  
 333 utrumque et prudens et sumptis impiger armis.  
 334 Quod nisi et accessus et agendi tempora belli  
 335 noverit et socios tutabitur hoste minores,  
 336 aut cedent aut illa tamen victoria damno est.  
 337 Ergo in opus vigila factusque ades omnibus armis :  
 338 (arma acuere virum) ; tegat imas fascia suras ;  
 339 sit pellis vitulina, suis et tergore fulvo  
 340 ire decet, niteant canaque e maele galeri,

341 ima Toletano praecingant ilia cultro  
 342 terribilemque manu vibrata falarica dextra  
 343 det sonitum et curvae rumpant non pervia falces.  
 344 Haec tua militia est. Quin et Mavortia bello  
 345 vulnera et errantis per tot divertia morbos  
 346 causasque adfectusque canum tua cura tueri est.  
 347 Stat Fatum supra totumque avidissimus Orcus  
 348 pascitur et nigris orbem circumsonat alis.  
 349 Scilicet ad magnum major ducenda laborem  
 350 cura, nec expertos fallat deus : huic quoque nostrae  
 351 est aliud, quod praestet opus, placabile numen.  
 352 Nec longe auxilium, licet alti vulneris orae  
 353 abstiterint atroque cadant cum sanguine fibrae :  
 354 inde rape ex ipso qui vulnus fecerit hoste  
 355 virosam eluviem lacerique per ulceris ora  
 356 sparge manu, venas dum sucus comprimat acer :  
 357 mortis enim patuere viae. Tum pura monebo  
 358 circum labra sequi tenuique includere filo.  
 359 At si pernicies angusto pascitur ore,  
 360 contra pande viam fallentisque argue causas  
 361 morborum : in vitio facilis medicina recenti ;  
 362 sed tacta impositis mulcent pecuaria palmis  
 363 (id satis) aut nigrae circum picis unguine signant ;  
 364 quodsi dstricto levis est in vulnere noxa,  
 365 ipse habet auxilium validae natale salivae.  
 366 Illa gravis labes et curis altior illis,  
 367 cum vitium causae totis egere latentes  
 368 corporibus seraque aperitur noxia summa.  
 369 Inde emissa lues et per contagia morbi  
 370 venere in vulgum fusaque exercitus ingens  
 371 aequali sub labe ruit, nec viribus ullis  
 372 aut merito venia est aut spes exire precanti.  
 373 Quod sive a Stygia letum Proserpina nocte  
 374 extulit et Furiis commissam ulciscitur iram,  
 375 seu vitium ex alto spiratque vaporibus aether  
 376 pestiferis, seu terra suos populatur honores :  
 377 fontem averte mali. Trans altas ducere calles  
 378 admoneo latumque fuga superabitis amnem.  
 379 Hoc primum effugium leti : tunc ficta valebunt  
 380 auxilia et nostra quidam redit usus ab arte.  
 381 Sed varii motus nec in omnibus una potestas :  
 382 disce vices et quae tutelast proxima tempta.  
 383 Plurima per catulos rabies invictaque tardis  
 384 praecipitat letale malum : sit tutius ergo  
 385 antire auxiliis et primas vincere causas.  
 386 Namque subit, nodis qua lingua tenacibus haeret,  
 387 (vermiculum dixere) mala atque incondita pestis.  
 388 Ille ubi salsa siti praecepit viscera longe,  
 389 aestivos vibrans accensis febris ignes,  
 390 moliturque fugas et sedem spernit amaram.  
 391 Scilicet hoc motu stimulisque potentibus acti  
 392 in furias vertere canes. Ergo insita ferro  
 393 jam teneris elementa mali causasque recidunt.  
 394 Nec longa in facto medicinast ulcere : purum  
 395 sparge salem et tenui permulce vulnus olivo :  
 396 ante relata suas quam nox bene compleat umbras,  
 397 ecce aderit factique oblitus vulneris ultro  
 398 blanditur mensis cereremque efflagitat ore.

399 Quid, priscas artes inventaque simplicis aevi,  
 400 si referam ? Non illa metus solacia falsi  
 401 tam longam traxere fidem. Collaribus ergo  
 402 sunt qui lucifugae cristas inducere maelis  
 403 jussere aut sacris conserta monilia conchis  
 404 et vivum lapidem et circa Melitensia nectunt  
 405 curalia et magicis adjutas cantibus herbas.  
 406 Ac sic offectus oculique venena maligni  
 407 vicit tutela pax impetrata deorum.  
 408 At si deformis lacerum dulcedine corpus  
 409 persequitur scabies, longi via pessima leti :  
 410 in primo accessu tristis medicina, sed una  
 411 pernicies redimenda anima, quae prima sequaci  
 412 sparsa malost, ne dira trahant contagia vulgus.  
 413 Quodsi dat spatium clemens et promonet ortu  
 414 morbus, disce vias et qua sinit artibus exi.  
 415 Tunc et odorato medicata bitumina vino  
 416 Hipponiasque pices neglectaeque unguen amurcae  
 417 miscuit et summam complectitur ignis in unam.  
 418 Inde lavant aegros : atque ira coercita morbi  
 419 laxatusque rigor. Quae te ne cura timentem  
 420 differat, et pluvias et Cauri frigora vitent ;  
 421 duc magis, ut nudis incumbunt vallibus aestus,  
 422 a vento clarique faces ad solis, ut omne  
 423 exsudent vitium subeatque latentibus ultro  
 424 quae facta est medicina vadis. Nec non tamen illum  
 425 spumosi catulos mergentem litoris aestu  
 426 respicit et facilis Paeon adjuvit in artes.  
 427 O rerum prudens quantam experientia vulgo  
 428 materiem largita boni, si vincere curent  
 429 desidiam et gratos agitando prendere finis !  
 430 Est in Trinacria specus ingens rupe cavique  
 431 introsus reditus, circum atrae moenia silvae  
 432 alta premunt ruptique ambustis faucibus amnes ;  
 433 Vulcano conducta domus. Quam subter eunti  
 434 stagna sedent venis oleoque madentia vivo.  
 435 Huc defecta mala vidi pecuaria tabe  
 436 saepe trahi victosque malo graviore magistros.  
 437 "Te primum, Vulcane, loci, pacemque precamur,  
 438 incola sancte, tuam : da fessis ultima rebus  
 439 auxilia et, meriti si nulla est noxia tanti,  
 440 tot miserare animas liceatque attingere fontis,  
 441 sancte, tuos" ter quisque vocant, ter pingua libant  
 442 tura foco, struitur ramis felicibus ara.  
 443 Hic (dictu mirum atque alias ignobile monstrum)  
 444 adversis specibus ruptoque e pectore montis  
 445 venit ovans Austris et multo flumine flammae  
 446 emicat ipse : manu ramum pallente sacerdos  
 447 termiteum quatiens "Procul hinc extorribus ire  
 448 edico praesente deo, praesentibus aris,  
 449 quis scelus aut manibus sumptum aut in pectore motum est"  
 450 inclamat : cecidere animi et trepidantia membra.  
 451 O quisquis misero fas umquam in supplice fregit,  
 452 quis pretio fratrum meliorisque ausus amici  
 453 sollicitare caput patriosve lacessere divos,  
 454 illum agat infandae comes huc audacia culpae :  
 455 discet commissa quantum deus ultor in ira  
 456 pone sequens valeat. Sed cui bona pectore mens est



457 obsequiturque deo, deus illam molliter aram  
 458 lambit et ipse, suos ubi contigit ignis honores,  
 459 defugit a sacris rursumque reconditur antro :  
 460 huic fas auxilium et Vulcania tangere dona.  
 461 Nec mora, si medias exedit noxia fibras,  
 462 his lave praesidiis adfectaque corpora mulce :  
 463 regnantem excuties morbum. Deus auctor, et ipsa  
 464 artem aluit natura suam. Quae robore pestis  
 465 acrior aut leto propior via ? Sed tamen illi  
 466 hinc venit auxilium valida vehementius ira.  
 467 Quod primam si falleret opem dimissa facultas,  
 468 at tu praecipitem qua spes est proxima labem  
 469 adgrederere : in subito subita et medicina tumultu.  
 470 Stringendae nares et bina ligamina ferro  
 471 armorum, geminaque cruor ducendus ab aure :  
 472 hinc vitium, hinc illa est avidae vehementia pesti.  
 473 Ilicet auxiliis fessum solabere corpus  
 474 subsiduasque fraces defusaque Massica prisco  
 475 sparge cado : Liber tenuis e pectore curas  
 476 exigit, et morbo Liber medicina furenti.  
 477 Quid dicam tussis, quid inertis damna veterni  
 478 aut incurvatae siquast tutela podagrae ?  
 479 Mille tenent pestes curaque potentia major.  
 480 Mitte age (non opibus tanta est fiducia nostris),  
 481 mitte, anime : ex alto ducendum numen Olympo,  
 482 supplicibusque vocanda sacris tutela deorum.  
 483 Idcirco aeriis molimur compita lucis  
 484 spicatasque faces sacrum ad nemorale Dianae  
 485 sistimus et solito catuli velantur honore,  
 486 ipsaque per flores medio in discrimine luci  
 487 stravere arma sacris et pace vacantia festa.  
 488 Tum cadus et viridi fumantia liba feretro  
 489 praeveniunt teneraque extrudens cornua fronte  
 490 haedus et ad ramos etiamnum haerentia poma,  
 491 lustralis de more sacri, quo tota juvenus  
 492 lustraturque deae proque anno reddit honorem.  
 493 Ergo impetrato respondet multa favore  
 494 ad partis, qua poscis opem ; seu vincere silvas  
 495 seu tibi fatorum labes exire minasque  
 496 cura prior, tua magna fides tutelaque virgo.  
 497 Restat equos finire notis, quos arma Dianae  
 498 admittant : non omne meas genus audet in artis.  
 499 Est vitium ex animo, sunt quos imbellia fallant  
 500 corpora, praeviens quondam est incommoda virtus.  
 501 Consule, Penei qualis perfunditur amne  
 502 Thessalus aut patriae quem conspexere Mycenae  
 503 glaucum : nempe ingens, nempe ardua fundet in auras  
 504 crura. Quis Eleas potior lustravit harenas ?  
 505 Ne tamen hoc attingat opus : jactantior illi  
 506 virtus quam silvas durumque lacessere martem.  
 507 Nec saevos miratur equos terrena Syene  
 508 scilicet, et Parthis inter sua mollia rura  
 509 mansit honor ; veniat Caudini saxa Taburni  
 510 Garganumve trucem aut Ligurinas desuper Alpes ;  
 511 ante opus excussis cadet unguibus. Et tamen illi  
 512 est animus fingetque meas se jussus in artes :  
 513 sed juxta vitium posuit deus. At tibi contra  
 514 Callaecis lustratur equis scruposa Pyrene,

515 non tamen Hispano martem temptare ministro  
516 ausim : in muricibus vix ora tenacia ferro  
517 concedunt. At tota levi Nasamonia virga  
518 fingit equos : ipsis Numidae solvere capistris  
519 audax et patiens operum genus. Ille vigebit  
520 centum actus spatiis atque eluctabitur iram.  
521 Nec magni cultus : sterilis quodcumque remisit  
522 terra sui tenuesque satis producere rivi.  
523 Sic et Strymonio facilis tutela Bisaltae :  
524 possent Aetnaeas utinam se ferre per arces,  
525 qui ludus Siculis. Quid tum, si turpia colla  
526 aut tenuis dorso curvatur spina ? Per illos  
527 cantatus Graiis Acragas victaeque fragosum  
528 Nebroden liquere ferae : (o quantus in armis  
529 ille meis quous dociles pecuaria fetus  
530 sufficient) quis Chaonios contendere contra  
531 ausit, vix merita quos signat Achaia palma ?  
532 Spadices vix Pellaei valuere Cerauni ;  
533 at tibi devotae magnum pecuaria Cyrrhae,  
534 Phoebe, decus meruere, levis seu jungere currus  
535 usus, seu nostras agere in sacraria tensas.  
536 Venanti melius pugnat color : optima nigra